

3049

LITURGICI.

3050

do iudicio, sunt pulcherrimè compositi, spirantque etiam in Musica Diuinum V.^{rae} M.^{tis} Ingenium; sed me humilem M.^{tis} V.^{rae} seruum præ reliquis delectat versus: Benigne fac Domine: hic enim quoties auditus Tantum auditui meo gaudium & lætitiã affert, vt ipsam Quadragesimam lætissimam faciat. Viue Magne Cæsar, & cum Tuo Dauide, Vince, Deo cane, & inter Victorias consenesce. Cæsar. M.^{tis} V.^{rae} humillimus seruus, & cliens: Georgius Moser Notista.

DCCCXLI.
Codex chartaceus lat. Sec. 6 XVI. Folior. 74. f. max. Continentur eo Threni five Lamentationes Jeremiae Prophetæ, quas Michael Echamer Variscus Augusti Pii Electoris Saxonie Musici chori collega musicis numeris quinque Vocum inclusit et D. Rudolpho II. Rom. Imp. præmissa 12. Distichor. Elegia dicavit. Iuvat inde excerpere, quæ ad perpetuam Austriorum Principum in Artem musicam propensionem contestandam faciunt:

Diue igitur salue Rudolphe Patrone canentum,
Munera et hæc clemens musica Cæsar habe.
Hæc Fernandus auus, Pater hæc et sumptibus ultro,
Et coluere animo Cæsar uterque pio.

Codicem eleganter scripsit Christianus Hollandus.

DCCCXLI.

452 Codex membraneus lat. Sec. partim XIV. partim XII. Folior. 40. 4. partim per duas columnas, partim lineis longis exaratus complectitur: I. Hymnos quatuor, quorum Primus, Ricmus Sancte dei genitricis, vulgo S. Casimiro

Casimiri IV. Regis Poloniae filio tributus, cujus vel ex hoc Codice esse nequit, qui multo ante pium hunc Iuvenem anno 1484. raptum scriptus est. Itaque certius ad Conradum Carthusiæ Gemnisiensis in Austria Priorem Caroli IV. Imp. aëvo refertur. Vide Cels. Gerberti T. II. de Cantu et Mus. sacra p. 27. Hymni initium:

Omni die. dic Marie. mea laudes anima &c.

Secundus, Alius ricmus de corpore christi, 13. Stropharum, quarum prima:

Aue viuens hostia veritas et uita.
Per quam sacrificia cuncta sunt finita.
Per te stat ecclesia iugiter inuisa.

Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

Mm

For-

3051

C O D I C E S

3052

Forta fflis ejusdem *Conradi*, quem testatur *Bern. Pezius Dissert. Isag. in T. I. Thes. Anecd.* p. 14. Volumen integrum *Rhythmorum* et *Hymnorum* reliquisse. Quaedam hic ad Hymnum: *Lauda Sion Salvatorem &c. Thomae Aq. aut Bo-*

naventurae tributum adludunt, ut: *Sumptum non consumitur &c.*

Tertius absque inscriptione, sed ejusdem *Thematis*, et verisimilius ejusdem etiam *Autoris*, *Stropharum* 8. quarum prima:

Ave uerbum incarnatum in altari consecratum

Verus panis angelorum salus spes christianorum.

Quartus denique, *De beata Virgine*, fat prolixus, cujus initium:

Mente gaudens predicabo

Dei matrem et laudabo

Cui carmen decantabo &c.

II. fol. 3. Incipit prologus in *cantica canticorum expositionis edita a Ruperto abbate*. Initium: *Qui contra hominem similem sibi luctatur aut in agone contendit &c.* Prologum excipiunt *Libri VII.* prout habentur in edit. *Venet. Operum Ruperti Abb. Tuitiensis* 1749. T. II. p. 373. f. Fronti operis luculento caractere inscriptum legitur: *Anno domini DCCCC°. L°. XIII°. consecratum est templum dilecte a dilecto pro dilecto ex dilecto.* Quodnam hic Templum sub invocatione *Deiparae* ejus *Filio* dicatum designetur, ignoro.

III. fol. 24. p. 2. Incipiunt *proverbia ex moralibus Gregorii super librum Job.* Sunt numero 56. primumque: *Quod enim predo iniuste appetit. hoc equissimum iuste fieri permittit.*

IV. fol. 25. Incipit *speculum Ecclesie editum a Magistro Hugone Cardinali de Officio Misse.*

Est hic *Hugo de S. Charo*, seu *Saint Chers*, dictus etiam *de S. Theuderio*, ex O. P. adsumtus ad *purpuram* primus, defunctusque a. 1263. De eo, *Opusculique* nostri, quod incipit: *Dicit apostolus ad Effesios. Induite uos armaturam dei &c.* Editionibus adi *Scriptt. O. Praed.* T. I. p. 194. et II. p. 335.

V. fol. 28. *Oratio de Beata virgine Maria.* Incipit: *Deprecor te domina Sancta Maria mater dei pietate plenissima &c.* Initium *Carminis Scholae Salernitanae: Anglorum regi scribit tota (sic) scola salerni &c.* Versus tantum 27. *Oratio de Corpore Christi*, scilicet notum illud: *Ave corpus christi natum &c.* *Compotus* five *Modus* quidam *metricus* numerandi *Hebdomadas* inter *Dom.* *Dum medium silentium*, et *Dom.* *Inuocauit.*

VI. fol. eod. p. 2. Incipiunt *cantica et primo canticum de ad-*

uen-

3053

LITURGICI

3054

uentu domini. Sequuntur: *De natiuitate domini, Quadragesimae, de resurrectione domini, de ascensione, de apostolis et Mart. de vno Martire vel confessore et de virginibus.* Vocantur hic *Cantica*, quae nunc *Responsoria* et *Versus* dicimus, singulisque in officio canonico *Lectionibus* subijcimus. Ita et in *Cod. in III. Lectiones* tributa sunt, quarum prima incipit:

Ecce dominus in fortitudine ueniet, et brachium eius dominabitur &c. Nihil hic rhythmicum. Adhaerent: *Expositio nominum hebraicorum C. I. Evang. Matthaei*, et quaedam e *Bernardo*.

VII. fol. 30. absque inscriptione incipit *Poema* biblicum de generis humani *Reparatione* auctore *Onulpbo* quodam, ut patet e sequenti *Prooemio*:

*Adlaro patri virtutibus inuigilanti
Annuit Onulpbus pietatis amabile munus.
Sim licet exilis populi seu portio vilis
Rebus in extremis multo minor atque coeuis,
Fascibus illatis humeros nostros oneratis,
Quas vix tangendas fragili datis ecce ferendas,
Atque panegyricum de paupere fonte rogatis
Quod sic scribatur christi ut natale loquatur.
Hic cogor mixtum cum dramate carmen inire,
Quod sub personis alternat opus Salomonis &c.*

Ad modum itaque *Cantici Cantic. dialogicos* scribere decernit, idque praefat sequentibus *Scenis*: 1°. inter *Serpentem* et *Evam*. 2°. inter *Deum Patrem* et *Filium*. 3°. inter *Prophetas* et *Terrigenas*. 4°. inter *Prophetas*, *Deum Patrem* et *Filium*. 5°. inter *Mariam* et *Gabrielem*. 6°. inter *Misericordiam* et *Veritatem*. 7°. inter *Coeligenas* et *Terrigenas*, cui

subijcitur *Poetae Epilogus*. 8°. inter *Stellam* et *Magos*, cui praemissum est *metricum Prooemium*. 9°. inter *Magos* et *Herodem*. Verum hujus *Scenae* non nisi *Argumentum* superest, deperditis omnibus, quae non exiguo fortasse numero sequebantur. *Scenis* singulis praefigitur *Argumentum rhythmicum*, ita *Scenae* 1.

*Gloriam primi parentis euacuauit suggestio dyri serpentis.
Et dum deitatis ius exspectatur auarum.
Inuidia dyaboli introiuit mors in orbem terrarum.*

3055

C O D I C E S

3056

Scenam ult. speciminis loco ex- uitantur *Eoy*. Interlocutores *Stel-*
 scribam: *Argumentum. Ad ado-* *la. Aureolus. Thureolus. Myrreo-*
randum filium dei per stellam in- *lus.*

Stell. Nato ferte dei redolentia thura Sabei

Et iun&is Arabis Exotica plebs properabis

Aurum cum myrra tellus sudabis eoa.

Aureolus. Quid parat hec stella. Thur. stupeo. Myr. lux ista novella.

Aur. Hec nimis ignescit. Thur. sol cedit. Myr. luna facefcit.

Aur. O quam candescit. Thur. frix pallet. Myr. laurus ebefcit.

Aur. O quam feruescit. Thur. iouis borret. Myr. mars tenebrefcit.

Aur. Jamque magis crescit. Thur. leo pallet. Myr. virgo tabefcit.

Aur. Hec regem regum monstrat. Thur. dominumque. Myr. homi-
nemque.

Aur. Hic inquiratur. Thur. veneretur. Myr. nonne colatur.

Aur. Aurum fumamus. Thur. seu thbus. Myr. myrramque feramus.

Aur. Aurum fit regi. Thur. domino thbus. Myr. myrra hominique.

Aur. Stellam se&temur. Thur. precedit nos. Myr. comitemur.

Nihil Noster aevo suo de tribus *Regibus*, qui, si *Onulphus* Monachus est, qui in vitam *Popponis* Abb. *Stabulensis* autore *Everhelmo* apud *Bollandum* T. II. Jan. ad diem 25. p. 638. praefatur, ad medium Sec. XI. et Coenobium *Blandiniense* prope *Gandavum* pertinet. Certiora dicent fortasse, apud quos integrum *Onulphi* Poema fuerit, de quo nil *Leyserus*, nec, quod sciam, alii.

VIII. fol. 31. Incipit *Prologus* super *Commento Apocalipsis*. Sic: *Johannes apostolus et ewangelista a domino christo electus* atque di-

lectus &c. Initium ipsius *Commentarii: Apocalipsis ihesu christi quam dedit illi deus palam facere &c.* Sciendum est quod *Johannes apostolus et ewangelista a Domitiano principe christianorum persecutore. predicationis causa. in pathmos insulam corpore quidem relegatus. mente tamen omnino solutus &c.* Prologus in *Bibliis Glossat.* *Hieronymo* tribuitur; Autorem vero *Expositionis* quamvis diligenter investigatum non reperi. Antecessorum suorum testimoniis vix ullibi utitur, nisi quod ad C. I. v. 6. *Virgilium* excitari video:

Bi-

3057

LITURGICI.

3058

Bibebant pateris et auro. i. aureis ciphis. Linguarum ignarum inde arguas, quod ad v. 8. literam Ω *Hebraeis* tribuit. Abrumpitur tractatio in C. XII. v. 11. in verbis istis: *Anima enim pro vita ponitur in diuina pagina in pluribus locis*

IX. fol. 41. manu nitida Sec. XII. lineis a se invicem distantibus, brevibus, ut Glossae inter lineas et in utroque margine locus esset, Iconismis quibusdam ornatae *Epistolae Canonicae* seu *Catholicae* VII. quarum Prima *Jacobi* initio mutila ab his verbis C. II. v. 18. inchoat: *fidem habes et ego opera habeo.* Divisio in Capita nulla. Voces multae adspiratae, ita: *hostende, bysaac, bora &c.* Secunda *Petri* sub initium legitur *coequalem in nobis pro nobiscum*, et in *cognitione domini nostri* pro *Dei et Christi Jesu domini nostri.* Testimonium duplex I. *Job. c. 5.* nunc sic habet: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in terra. Spiritus. Aqua. et sanguis. Et tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in celo. Pater uerbum et spiritus Sanctus. et hi tres unum sunt.* Sed membrana, ut adparet, hinc inde rafa et rescriptionem passa est. V. penult. pro *in vero filio ejus* legitur tantum *in filio ejus.* Glossa *Epistolis* addita cum ordinaria est *Walafr. Strabi*, tum *Anselmi Laudun.* interlinearis. Priorem etiam adjunctam habet *Hieronymi Prologus* in VII. has *Epistolas*, qui incipit: *Non ita ordo est apud*

Graecos &c. et in *Cod. nostro Epilogum* agere jussus est.

DCCCXLII.

Codex membraneus lat. Sec. 415 XV. Folior. 50. 4. luculente scriptus, rubricisque distinctus Liturgicus est, sive *Cantionale* notis Musicis instructum. Quae continet, sequentia sunt: *Cantus ad ponendum primum (Ecclesiae) lapidem. Cantus pro consecratione ecclesie et altaris seu altarium. Cantus reconciliande ecclesie. Cantus ad consecrandum nouum cimiterium. Cantus in celebratione ordinum. Cantus sanimonialium i. e. dum velantur. Officium in reconciliatione ecclesie. In dedicatione altaris. In dedicatione ecclesie.* Et deinceps Versiculi modulis adstricti de pluribus Festis majoribus, et de Communi Sanctorum. Accedunt fol. 46. Instructio de *Castibus reconsecrandae et reconciliandae Ecclesiae*, de *Consecratione Altaris*, de *Consecratione Cymiterij*, de *Confirmatione*, et *Littere Indulgentiarum* pro iis, qui ad sustentandas inopes ecclesias stipem contulerint. Promulgat eas *Andreas Episcopus Constaten. Episcopi patauiensis cooperatores in pontificalibus*, sed nomen *Andreas* et *Constaten.* a recentiore manu rescriptum est; *Andreas* enim iste teste *M. Hansizio Germ. Sacr. T. I. coroll. 6.* primum circa an. 1477. Suffraganeatum gessit, cum *Codex* noster longe ante exaratus fuerit. Ita enim Clausula iniata:

M m 3

Anno